


235


G 19






Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
235 G 19





Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
235 G 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
235 G 19



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.  
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.  
235 G 19



~~Erasmus~~


~~272~~

KW

235

G 19





RELIGIO  
RATIONALIS

Seu

DE RATIONIS JUDICIO,

In Controversiis etiam Theolo-  
gicis, ac religiosis, adhibendo,  
tractatus.

Auctore

ANDREA WISSOWATIO.



Anno cl. lxxv.

RELIIGIO  
RATIONALIS

DE RATIONIS JUDICIO,  
In Controversiis etiam Theolo-  
gicis, ac religiosis, adhibendo,

Koninklijke  
Bibliotheek  
te's Mège.



Anno cl. lxxv.

RA

De F  
Con



num  
vend  
ver  
ad e  
est,  
per  
nea  
ven  
pro  
unq  
un

RELIGIO  
RATIONALIS,

Seu

De Rationis Judicio, in  
Controversiis etiam Theo-  
logicis, ac religiosis,  
adhibendo.

**V**eritatis divinæ, præ-  
sertim salutaris, cum  
pietate conjunctæ,  
notitia, magnum est  
generis humani bo-  
num: ideoque magnâ curâ quæ-  
rendum: ne velut cæci in tenebris  
versantes, ab erroribus intellectus  
ad errores morum, quod pronura  
est, delabamur. Præter cætera; ex-  
perientia docet, homines qui erro-  
neas circa religionem opiniones fo-  
vent, facile alios à se dissidentes  
pro hæreticis damnare, tum vexare  
atque affligere, ac postquam con-  
tra rationem credere assueverunt,

A 2

etiam

etiam aliis in rebus contra rationem ut agant assuescere. Sed dum circa veritatem agnoscendam de controversiis ad fidem divinam ac religionem spectantibus agitur, primum in ipso limine magna occurrit controversia, de eo ipso quisnam & quo medio eas controversias judicare debeat. Deus quidem Optimus Maximus, absque controversia est Judex supremus, irrefragabilis; sed is nunc inter litigantes speciale decretum voce sua proprie loquendo non pronunciat: sicut nec Filius ejus unigenitus Judex vivorum ac mortuorum ab eo constitutus. Verbum autem Dei scriptum nobis relictum, non est proprie Judex: nam id est norma secundum quam aliquis judicare debet. Sicut lex ipsa non judicat proprie, sed secundum legem aliquid ab aliquo judicatur.

Videtur igitur non posse aliter fieri, quam ut in controversiis fidei seu religionis, veritas, & ipsius verbi Dei seu Sacrae Scripturae verus  
sen-

RATIONALIS. 5

sensus, hoc tempore, per aliquem istorum trium modorum habeatur: nempe, aut per Ecclesiæ ejusve capituli visibilis in terra, scilicet Pontificis Romani, sive Concilii, auctoritatem; ut volunt Pontificii, qui sibi Catholicorum Romanorum appellationem vendicant: aut per Spiritus sancti in cordibus electorum dictamen, ut statuunt plerique Protestantes qui Evangelici vel Reformati nominari volunt; ac aliquatenus similiter ii qui Enthusiastæ atque Quakeri nuncupantur: aut denique per rationis sanæ, in unoquoque homine, verbum Dei legitimè expendentis iudicium; ut existimant alii aliqui Christiani.

Atqui i. auctoritas ista Ecclesiæ, quæ tandem in Pontificis Romani auctoritatem resolvitur, in decretis circa religionis controversias ferendis, ipsa inquam tum Ecclesiæ tum Pontificis Romani auctoritas, Sacræ Scripturæ verbis inniti fertur; ea nonnisi rationis

humanæ ope ex S. Scriptura per consequentiam colligitur, ejusdemque rationis ope, huic Ecclesiæ, vel huic homini applicatur. Et num ista Ecclesia sit vera Christi Ecclesia, nonne ratiocinationibus, ex notis Ecclesiæ, &c. confirmatur: Et num iste sit verus ac legitimus Pontifex, præsertim si plures simul existant qui nomen istud sibi vendicent, prout sæpenumero per schismata extiterunt; & denique quifnam sit verborum Pontificis verus sensus, nonne ratione dijudicatur. Imo ipse Pontifex, nonne rationis humanæ ope aliquid de ipsis fidei controversiis decernere dicitur? Videatur Bellarminus Jesuita Cardinalis, qui ita scripsit, *Concilia, & ipsos Pontifices, in Controversiarum fidei veritate eruenda, humano more procedere, per ratiocinationem conclusiones deducere, adhibendo scrutinium scripturæ, ac Traditionum, consensumque veterum inquirendo, &c.* De conciliis Lib. I I. c. 12. Et Hieronymus a S. Hyacin-

RATIONALIS. 7

cintho Carmelita, in idea collo-  
 quii Thoruniensis, Actione II.  
 contro 2. sub finem. *Neque enim  
 summus Pontifex, vel etiam ipsa  
 concilia (inquit) eam habent facul-  
 tatem, quæ Prophetis, Apostolis, &  
 Evangelistis inerat ut statim ex im-  
 mediato afflatu divino agnoscant  
 quid sit de fide, quid non sit. Sed con-  
 formiter ad humanum modum pro-  
 cedunt, veritatem diligenti scrutinio  
 investigantes, &c.*

2. Spiritus Dei Sanctus per A-  
 postolos à Christo ipso missos lo-  
 quens, erat sane iudex certus om-  
 nium de religione controversia-  
 rum, aut Christus per illum. Sed  
 etiam tunc quod Apostoli spiritu  
 sancto dictante docebant, rationis  
 ope ab hominibus verba divina &  
 Sacram Scripturam examinanti-  
 bus, recte ac laudabiliter dijudica-  
 batur. Videatur exemplum illo-  
 rum Berœensium, notatum & com-  
 mendatum. Act. xvii. 11. Præ-  
 terea, Spiritus Sanctus, non ante  
 sed post fidem verbo Dei annun-  
 ciato



§ RELIGIO

ciato adhibitam dari ordinariè con-  
 suevit. v. Act. 11:38. viii. 16, 17.  
 x. 17. xv. 7, 8, 9. xix. 2. Eph. 1.  
 13. & concesso quod tibi Spiritus  
 S. ita dicet, adversarius cui non  
 idem dicat, inde ut ex principio  
 non communi convinci de veritate  
 nequeat. Nunc autem quum fieri  
 facile possit ut quis de Spiritus  
 Sancti afflatu non verè gloriatur,  
 ac interim spiritu phanatico atque  
 phantastico, ut nonnulli Eathusia-  
 stæ, in absurda abripiatur; & quum  
 verus Sacræ Scripturæ sensus non  
 possit ex Spiritu Sancto in quopiam  
 homine inhabitante, & vicissim ista  
 Spiritus Sancti inhabitatio ex Sa-  
 cra Scriptura probari, nisi per cir-  
 culum vitiosum, ac ejus quod in  
 principio quæritur, petitionem; ut  
 Becanus adversus Paræum osten-  
 dit; Restat igitur illud tertium,  
 ut in istis controversiis veritas, &  
 imprimis vera Sacræ Scripturæ sen-  
 tentia, quænam sit, per rationem  
 sanam, ab homine unoquoque ea  
 prædito dijudicetur.

Hos

RATIONALIS. 9

Hoc verò dum Christiani aliqui tuentur, solet eis à diversis Christianorum sectis objici quod religionem ex rationis suæ dictamine constituent; quodque pro rerum divinarum norma, suam humanam ratiocinationem ponant. At vero isti Christiani, confitentur, ipsa religionis Christianæ propria mysteria seu dogmata, nequaquam esse à ratione humana excogitata sive inventa; verùm ex Dei ipsius revelatione per filium ejus Jesum Christum tradita.

Indicavit id ex iis qui Christiani Unitarii nominantur, Faustus Socinus, in Tractatu de Autoritate Sacræ Scripturæ, cap. i. dum de ostendendo rationibus ejusmodi nam debeant esse religionis Christianæ axiomata vel decreta, ita scripsit: *Quod enim ad rationes attingit, hæc nimis fallax via est, in re quæ ex divina patefactione pendet; qualis est Christiana religio, &c.*

Et alter ex iisdem Johannes

A 5

Crel-

Crellius, de Uno Deo, Patre, Lib. sub finem. *Superant quidem rationem mysteria; Sed non evertunt: non extinguunt illa huius lumen; Sed perficiunt. Imò ratio mysteria quæ per se invenire non poterat, sibi revelata, & percipit sola, & amplectitur, & defendit.*

Et alius Joachimus Stegmanus, senior, ita suam suorumque sententiam declaravit de Judice controversiarum fidei. Lib. I. c. 3. *Etsi (inquit) religionem Christianam nec ipsa Philosophia tradat, nec ratio nostra eam ex solis Philosophicis principis perfecte colligere unquam possit, sed revelatione divinâ innotescere illa omnino debeat; est tamen ista revelatio, quæ sacris, uti infra docebimus, continetur literis, ita comparata, ut præviâ rerum Philosophicarum notitiâ, saltem mediocri, valde indigeat: Non secus ac Philosophia ipsa alphabeto indiget. Et deinde, quamvis ratio humana non invenit fidei Christianæ mysteria: tamen postquam à Deo per Christum*

RATIONALIS. II

rum revelata sunt, ratio sana ea esse vera agnoscit, & approbat. Hæc ille.

ERemonstrantibus, Simon Episcopus ita hac de re scripsit, Instit. Theol. c. 1. *Ratio recta non sufficit ad omne verum inveniendum. Nam sensus divinos rationis solius auxilio excogitare homo non potest. At revelatos apprehendere & dijudicare potest quomodo sint intelligendi, secundum mentem ejus qui illos enunciavit.*

Et Stephanus Curcellæus Inst. Rel. Chr. c. xvii. statuit, *Rationis humane usum in inveniendis iis quæ ad cultum Dei pertinent in religione revelata, qualis est tum Judaica, tum Christiana, nullum amplius locum habere videri, &c. Sed frequentior ejus usus est (inquit) in iis quæ nobis revelata sunt expendendis. Mens enim nostra non est, rationem humanam absque revelatione divina posse capere mysteria fidei, aut de iis judicare, absit. Hoc tantum volumus, rationis esse expendere, an*  
A 6                      dogma

*dogma aliquod de quo movetur quæ-  
stio in sacris contineatur, nec ne, an  
consentiat vel repugnet aliis quæ cla-  
rè ibi traduntur quis genuinus loci  
alicujus controversi sensus sit, aut  
quæ mens Dei nos in Sacra Scriptura  
alloquentis, &c. Certè è principiis  
naturalibus à ratione humana ob-  
servatis ac collectis, nonnisi natu-  
ralis Theologia atque religio, qua-  
lis est eorum qui nunc Deistæ no-  
minantur, constitui posset; non au-  
tem religio Christiana.*

*Sed interim à fidei atque religio-  
nis mysteriis, in verbo Dei scripto  
revelatis, quatenus revelata sunt,  
cognoscendis, intelligendis, ac di-  
judicandis, non est arcendus, imo  
ad hæc adhibendus, rationis sanæ  
usus. Ratio sana dicitur, facultas  
intellectionis quæ est ab affectuum  
immoderatorum, & vitiorum do-  
minio ac perturbatione à præcon-  
ceptis pravis opinionibus, à præ-  
judiciis, judicium rectum impe-  
dientibus ac turbantibus, veluti  
morbis animi, libera ac repurgata.*

*Tali*

Tali ratione sanâ utens homo, debet normâ ac regulâ verbi Dei scripti (præter quod nunc aliud certum Dei verbum non habemus) sumtâ ac recte applicatâ, de controversiis circa religionem propositis quidnam veri eis insit judicare ac ea quæ falsa absurdaque evidenter esse commenta ostenduntur, rejicere.

At judicium istud debet esse non authoritatis, sed tantum discretionis; atque ita ut quisque sibi propter se judicet, non autem aliis præjudicet: qui judicium ejus sequi non cogantur nisi ii ipsi idem ratione sua utentes verum esse agnoscant.

Hujus de rationis in sacris fidei controversiis usu adhibendo sententiæ veritas, probari potest non paucis rationibus seu argumentis.

I. Primi argumenti loco potest haberi illud ipsum sub initium hujus dissertationis positum: nempe quod præter hunc modum alius legitimus in dijudicatione sacra-

A Z

rum

rum de rebus fidei controversiarum, nunc inter dissidentes haberi non possit ullus: ut est superius ostensum. Certè omnes controversias in rationis iudicium resolvi, patet inde, quod quicumque iudex aliis statuatur, sive Verbum Dei Scriptum, sive Spiritus Sanctus in cordibus hominum existens, sive Ecclesia aut caput ejus visibile in terra, non possit illius iudicium admitti, nisi prius ratio nobis dictaverit, oportere ut illi iudici acquiescamus.

2. Fides de qua hic agimus si definiatur, nihil aliud est, quam assensus firmus testimonio divino adhibitus. Certè passim ab eruditis fides per assensum sive persuasionem rectè definitur. Atqui ad assensum istum, si modo firmus esse debeat, requiritur, ut quis non solum agnoscat ac persuasus sit dicta illa quæ ipsi ut eis assentiatur proponuntur, esse divina; sed etiam ut prius præter vocabulorum sonum qui aures ferit, significatio-

nem

nem quoque ac sensum dictorum aliquatenus saltem animo cognoscat, atque rem sub vocibus contentam cui sit assentiendum intelligat. Nam ut ignoti nulla cupido; ita prorsus incognitis ac nullo modo intellectis, nec sensu interno perceptis rebus, nullus revera assensus potest adhiberi. Prius de aliquo dicto quid & quale id sit cognoscendum est, seu animo sentiendum, deinde demum quod id verum sit assentiendum: (assensus cœcus non est vere ac proprie assensus) Id præter ipsum communem hominum sensum, attestatur quoque Paulus Apostolus, 1. Cor. XIV. 8, 9, 11. Quidnam vero est id quo homo intelligit aliquid cui assentiri debeat? Nonne illa animi facultas quam intellectum seu rationem appellamus? à qua homo definitur animal rationale. Nisi forte quispiam hominis nomine gaudens, contentus sit ut ejus definitionem solum genus constituat, absque differentia specifica. Ratio igitur



igitur ad fidem requiritur ; quia sine ratione non fit assensus , id est ipsa fides. Certe neque fidem habere alicui personæ aut rei , neque credere quisquam quidquam absque persuasione , neque omnino persuaderi ei quidpiam absque usu rationis seu intellectus ipsius ( cuius per argumenta convictio est persuasio ) potest. Qui rem à se prorsus non intellectam credere se ait , is quid sit credere ignorat , & quid credat ipse nescit , ac proinde revera non credit ; sed opinatur. Divinus author Epistolæ ad Hebræos c. xi. non tantum in ipsa fidei descriptione ponit , quod fides sit elenchus seu argumentum [ sive exhibitio ] rerum non apparentium ; sed etiam dicit , quod fide intelligamus aptata seu coagmentata esse secula , id est mundum conditum , Verbo Dei. E quibus illud saltem colligi potest , ea quæ fide apprehenduntur non repugnare iis quæ & argumentis certis rationi consentaneis firman-  
tur,

tur, & intellectu humano percipiuntur.

Si ad credendum non opus est ut aliquid intelligatur, poterit recte cuiquam homini pronunciari quidpiam lingua ejusmodi peregrina cujus ille sonum solum audiat, sed interim quid verba significant non intelligat, ac tum interrogari, an ipse ista quæ dicuntur credat, eisque ut veris assensum & approbationem præbeat? At nonne, quæso, hoc absurdum est ac ridiculum, ut quis vel id ab alio requirat, vel iste se talia non intellecta credere respondeat.

3. Fidem (quatenus historica est) esse in intellectu, ut in subjecto suo recipiente primo, negari non potest: quamvis etiam in voluntate eam aliquatenus inesse, quatenus præsertim fiduciam continet, non est negandum. [Quamquam istæ animæ rationalis potentæ, non sunt fortasse re ipsa sed operatione distinctæ: ac ad litem vitandam tutius statuitur, Fidei subjectum esse

esse animam rationalem. ] Ita autem fides est in intellectu, sive in anima rationali, ut ipse intellectus, seu ratio, operatione sua conferat aliquid ad res fidei percipiendas: quum fides in homine oriri atque existere nequeat absque prævia rei credendæ intelligentia seu notitia: ut ostensum est antea sub fidei definitione, num 2. Quoniam igitur fidei subjectum inhærentiæ (ut vocant) est intellectus, seu anima rationalis, certe sine intellectu & rationis usu fides consistere non potest.

4. Objectum fidei Theologicæ est Veritas, de rebus divinis divinitus revelata. Id apud omnes est in confesso & concessio. Nisi enim aliquis sit persuasus quidpiam esse verum, vel saltem non adversum veritati manifestæ, ac proinde credibile, non impossibile; quomodo quæso à se impetrare poterit ut ei rei fidem habeat, seu eam esse credat? Unde non abs re scriptum est apud Thomam Aquinatem secunda

da lo  
 Res p  
 sedan  
 lo. U  
 que de  
 da; qui  
 sunt pa  
 potest  
 istima  
 ex illu  
 menid  
 id dicen  
 lidus &  
 cogita  
 rans, ve  
 corde p  
 promens  
 la pro  
 quid sit  
 quid t  
 ac proi  
 tem inc  
 dio ab  
 lcernit  
 s. I  
 habet at  
 alcernas

da secundæ Quæst. I. sub artic. 5. *Res fidei non demonstrari quidem, sed tamen probari non esse impossibiles.* Ubi paulo post additur; *aliqua demonstrabilia poni inter credenda; quia præ-exiguntur ad ea quæ sunt fidei.* Profectò nemo credere potest nisi id quod verum esse existimat. Alioqui si quamvis non existimet quidpiam esse verum, tamen id credere se dicat, non est ei id dicenti credendum quia vel solidus & amens erit, quid dicat non cogitans, aut quid sit credere ignorans, vel hypocrita falsidicus, aliud corde premens, aliud autem ore promens. Talis dignus est qui falsa pro veris suscipiat. Jam verò quid sit verum, quid autem falsum, quid possibile, quid impossibile, ac proinde quid credibile, quid autem incredibile, quonam alio medio ab homine quam ratione discernitur, ac decernitur?

5. Instrumenta naturalia certa habet animal quodvis à Deo data, ad certas actiones ac functiones ob-  
eun-

eundas. Ut oculus est instrumentum ad videndas res corporeas luminosas & coloratas, auris ad audiendos sonos, nares ad percipiendos odores, palatum ad sapes, manus ad aliquid apprehendendum. Ita ratio est instrumentum animali rationali homini datum à Deo ad verum, ut lumen intellectuale, videndum atque cernendum, & à falso discernendum, velut oculus internus; & ad idem quodammodo apprehendendum, velut manus quædam spiritualis: quæ arma ac tela spiritualia, de veritate Theologica propugnanda ac falsitate oppugnanda, in verbo divino suppeditata, apprehendit & dextre atque commode vibrat. Velle igitur absque rationis usu veritatem agnoscere atque tueri, perinde absurdum est, ac velle absque oculo vel clausis oculis videre & colores discernere, absque auribus, vel eis obturatis, audire, absque manu apprehendere aut tela vibrare. Sicut autem si quis diceret,  
oculis

oculis hominum profana solum scripta esse legenda, non etiam sacra; & auribus humana tantum verba audienda, non etiam divina, ineptus merito haberetur; ita similiter ineptus est, qui opinatur, intellectu humano seu ratione, in rebus tantum naturalibus vel civilibus cognoscendis esse utendum, non etiam in Theologicis & ad religionem spectantibus. Certe mirandum est homines qui sunt animalia rationalia, quique alioqui ratione tanquam insigni dono Dei gaudent, eaque in rebus minus necessariis utuntur, in his magis necessariis eadem uti nolle, ac istum mentis oculum ubi ad sacra spectanda ventum est ultro occludere.

6. Si ratio humana non requiritur ad res fidei percipiendas, sequetur posse fidei capita seu ut vocant articulos, proponi ad credendum, irrationalibus bestiis, ceu bobus, equis, asinis, &c. aut avibus, saltem iis quæ voces humanas imitari  
sunt

sunt dociles, ut psittacis, picis, corvis: vel hominibus quidem sed ratione sana orbatis: ut deliris, ac prorsus amentibus: vel infantibus, ob ipsam ætatem imperfectam nondum ratione utentibus. Id vero absurdum est apud homines cordatos; etiam apud eos qui infantes dum baptizantur fidem mysteriorum divinorum habere opinantur. Nonne ridiculum illud, quod Monachi quidam, avibus, ut Franciscus Assisias, & piscibus, ut Antonius Patavinus, euangelium prædicasse, usque concionati fuisse, memorantur? dictum illud Christi, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marc. xvi. 15. per abusum rationis ad irracionales etiam res creatas extendentes. Sicut in Anglia quoque quidam Enthusiastæ Quakeriani, dum eis homines aures præbere nollent, spiritu quodam errabundo impulsæ, oves, equos, anseres, concionando ad suas opiniones convertere tentasse feruntur. Digni talibus auditoribus

bus tales concionatores! Homini-  
bus ergo qui animalia rationalia  
sunt, fidei articuli e verbo Dei pro-  
poni debent, ideo ut ipsi dum au-  
ditu non bruto nec irrationali au-  
diunt, ratione sua qua bestias ex-  
cedunt, usi, eos pro veris agnoscant  
iisque assentiantur, atque ita cre-  
dant. Faceffat ab hominibus ratio-  
nalibus fides asinina, bruta, irra-  
tionalis.

7. Fides nostra de rebus divi-  
nis, & fidei confessio, debet esse se-  
cundum rectam conscientiam, ut  
in corde suo de rerum istarum ve-  
ritate persuasionem habens homo,  
ejusque sibi conscius, id ipsum  
agnoscens profiteatur, & in vitæ  
suæ actionibus sequatur. At ubi  
non est scientia ulla, laxius sumpta,  
seu notitia, quæ fit per intellectum  
sive rationem, ibi neque conscien-  
tia locum habet; proinde neque  
fides.

8. Prima ac præcipua fidei di-  
vinæ fundamenta absque rationis  
usu cognosci non possunt. Sane  
fides



fides myſteriorum ſupernaturalium innititur illi axiomati, Quod Deus dixit, id verum eſt. Sub quo ſubſumitur, Atqui ea quæ nobis in Sacra Scriptura proponuntur credenda & agenda, Deus dixit. Unde inferitur conſuſio, Ergo ea vera ſunt. At ſi quis illius ipſius axiomatis ſeu primæ propoſitionis requirat probationem, ea ſumenda erit à Dei adjunctis ſeu attributis, nempe quia Deus eſt perfectiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, veraciſſimus. Sed ſi quiſpiam porro prodeat, qui de eo ipſo dubitet an ipſe Deus exiſtat, vel eum exiſtere non credat, imo neget, ut agunt Athei; quomodo is ad id credendum erit adducendus? Apud talem Atheum non valebit aliqua authoritas teſtimonii, ut de hiſtoria quapiam: (quanquam & ſumta ex teſtimoniis argumentatio ſi admittenda eſſet, non abſque ratione deduceretur) Ergo ad hoc ipſum primum ac ſupremum religionis & fidei religioſæ principium, quod Deus ſit ſeu

ex-

existat, probandum, quærenda sunt ratiocinatione argumenta aliqua, præcipue à rebus naturalibus: ut à mundi hujus partium non solum majorum sed etiam minorum ordine atque dispositione conveniente, ac directione ad certos fines atque usus sapiente, & cæteris ejusmodi rationibus, quas & ipsæ Sacræ Literæ indicant, Psal. xix. Sap. xiiii. Rom. i. 19, 20. A quibus ad causæ primæ seu entis perfectissimi, potentissimi, sapientissimi, cuncta ista ordinantis ac dirigentis, id est Dei, agnitionem, ascenditur. Porro Religionem Christianam præ aliis religionibus amplectendam esse, Deisticis, Ethnicis, Judæis, Machumedanis, si sit persuadendum, nonne id argumentis ab ejus religionis auctore, ac tum ipsius auctoris, tum religionis ipsius adjunctis atque effectis erit per ratiocinationem evincendum. Denique qui de Sacræ Scripturæ, quæ religionis nostræ, ac fidei norma atque regula est, autoritate

B

dubi-

dubitant, vel eandem à Deo inspiratam esse inficiantur, quomodo convincentur? Nonne similiter rationibus, ab istius Scripturæ ejusque scribarum circumstantiis, adjunctis, effectis, & cæteris argumentis, quibus eam non falsam nec humanitus excogitatam, sed veram & sanctam atque divinam, id eoque fide dignam esse, homini cordato, & veritatem ac probitatem amanti, probetur atque confirmetur; & quibus adversus objectiones allatas in opposita lance positas ac præponderantibus, dubitationes ac scrupuli de Scripturæ istius sacræ autoritate, ex animis eximantur: ac inde super ea Scriptura Sacra, fides nostra & religio ut super fundamento firmo posita eidem innitatur.

9. Jam porrò ipsa Sacrarum Literarum verba sine sensu, qui verborum velut anima est, parum imo nihil valere inter omnes homines cordatos constat. *Ne putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium,*

*lium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Ita scripsit è Patribus, quos vocant, Ecclesiasticis, Hieronymus Stridonensis, commentario in Epistolam ad Galatas. Sensus verò ilte seu sententia ac significatio verborum, & radix rationis, nonne ope rationis investigatur, & invenitur? Nonne etiam in diversis religionum sectis à diversis interpretibus ac commentatoribus, post invocatum spiritus divini auxilium, (qui spiritus divinus & lumen cœleste, rationem in spiritu hominis insitam, quæ etiam lumen quoddam est, non è medio tollit, sed extollit) mens dictorum Sacræ Scripturæ mente humana inquiritur; per considerationem scopi, & circumstantiarum, per collationem cum verbis antecedentibus & consequentibus, atque dictis alibi prolatis similibus, per observationem phrasium consuetarum ac loquendi modorum, & per alia ejus gene-

ris media? Hæc nisi per rationem ejusque judicium adhibeantur, certe nec quid dicatur, nec de quo dicatur, nec quid ex quo consequatur, intelligitur; & quælibet Scripturæ expositio, quantumvis inepta & irrationalis, erit pro legitima temere admittenda, ac multi errores erunt committendi. Nec solum in intelligendo verum etiam in agendo poterunt hoc modo sæpius homines in varia delabi vitia atque peccata.

Rejeto rationis Judicio, quidnam prohibebit quælibet Sacrarum Literarum dicta cæco impetu arripere, ad quælibet absurdissimas conclusiones quasi ex illis sequentes deducendas?

Exempli gratia; septem angelis datæ sunt septem tubæ, Apoc. VIII. Ergo in Deo sunt septem personæ.

Mundus olim aqua inundatus perit, II. Pet. III. Ergo Deus non est creator mundi.

Per hominem mors I. Cor. XV.

Ergo

Ergo Jesus Christus nunc non vivit.

Sic Deus dilexit mundum, &c. Joh. 111. Ergo Turcarum Imperator est caput Ecclesiæ Christianæ.

Spiritus carnem & ossa non habet, Luc. xxiv. Ergo Diabolus aliquando salvabitur. Et multa cætera inconvenientia similiter colligere liceret. Quoniam autem modo ab istis absurdis collectionibus se se expedient ii qui rationis examen secludunt à controversiis religionis dijudicandis? An dicent, consequentias istas non esse legitimas? At num consequentiæ sint legitimæ annon sint, nonne id ipsum ratione est dijudicandum?

10. Si verba sacra omnia ad literam ita ut sonant simpliciter accipiantur, non adhibito in eis recte intelligendis rationis sanæ iudicio; quam multa inconvenientia, absurda, & minime credenda credantur? Exempli gratia, quum scriptum est, quod Deus sit sol, Psal. lxxxiv. 12. & scutum, ibidem: & Psal.

III. 4. XVIIII. 3. quod idem sit  
 ignis, Deut. IV. 24. IX. 3. Hebr.  
 XII. ult. & rupes, Deut. XXXII.  
 15, 18. Psal. XVIIII. 3, 32. XIX. 15.  
 & turris seu arx, Psal. XVIIII. 3.  
 XXXI. 3, 4. LXXI. 3. & quod idem  
 Deus habeat membra quædam, ut  
 oculos, aures, os, nares, manus,  
 pedes, quæ Deo in Sacris Literis  
 passim attribuuntur. Equorum le-  
 ctione, absque rationali intellectu-  
 ne, orta dicitur opinio Antropo-  
 morphitarum. Imo quod idem  
 Deus habeat etiam alas, Psal.  
 XXXVI. 8. XCI. 4. & quod Jehova  
 sit vexillum Mosis, Exo. XVII. 15.  
 & idem Jehova sit pax, Jud. VI. 24.  
 & quod Jehova sit justitia nostra,  
 Jer. XXI. 6. XXXIII. 16. & quod  
 Deus sit charitas, I. Joh. IV. 8, 16.  
 Item, quod Jesus Christus sit vitis  
 vera, Joh. XV. 1. & idem panis  
 verus, Joh. VI. 32, 33, 35, 48, 58.  
 & idem simul lapis, Act. IV. 11.  
 I. Pet. II. 4, 6, 7. & fundamen-  
 tum, super quod alii superædificant  
 aurum, argentum, lapides pretio-  
 fos;

fos; aliqui autem ligna, foenum,  
 stipulam, 1. Cor. III. 11, 12. &  
 idem janua ovium, Joh. x. 7, 9. &  
 via, Joh. XIV. 6. & agnus, Joh. I.  
 29, 36. Apoc. v. 6, 12, 13. & idem  
 leo, Apoc. v. 5. & quod in deserto  
 petra fuerit Christus, 1. Cor. x. 4.  
 & quod David typum Christi ge-  
 rens dixit, Ego vermis & non ho-  
 mo, Pſal. XXI. 7. Item quod spi-  
 ritus sanctus sit ignis, Mat. III. 11.  
 & idem spiritus etiam sit aqua,  
 Jefa. XLIV. 3. Joh. IV. 14. VII.  
 38, 39. & idem spiritus chrisma  
 seu unguentum, Act. x. 38. 1. Joh.  
 11. 27. Item quod discipuli Chri-  
 sti sint sal terræ, Mat. v. 13. & iidem  
 lux mundi, ibid. 14. quod Chri-  
 stiani carnem suam crucifixerint,  
 Gal. IV. 24. quod non sint in car-  
 ne, Rom. VIII. 9. & quod qui  
 sunt in carne non possint Deo pla-  
 cere, ibid. 8. & quod iidem dum  
 vivunt sint mortui, Col. III. 3. &  
 quod mortui possint sepelire mor-  
 tuos suos, Mat. VIII. 22. quod  
 Paulus Apostolus omnibus factus



fit omnia, 1. Cor. ix. 22. quod idem ab omnibus liber fuerit, ibid. 19. quod mundis omnia sunt munda, Tit. i. 15. denique quod in regno Dei fit comedendum & bibendum, Luc. xxii. 16, 30. Mat. xxvi. 29. Ut nunc alia ejusmodi dicta præteream. Jam vero quomodo quispiam statuet num ista proprie sicut sonant sint accipienda, an vero improprie? Scriptura ipsa id non dicit expressis verbis. Ergo hæc talia legenti vel audienti, adhibendum est rationis rectæ judicium: quod nos docet, Quando ex propria verborum acceptione inconueniens aliquod vel absurdum sequitur, tum verba non esse proprie sed figurate accipienda. Quod & Augustinus recte observavit, & exemplo de Christi carne comedenda, & sanguine bibendo, declaravit, libro de Doctrina Christiana iii. cap. 16. Jam vero hoc ipsum quid sit inconueniens & absurdum, quid autem non sit, per quidnam aliud, quæso, quam per rationem sanam dijudicatur.

II. A ratione observata axiomata quædam universalia atque communes notiones seu notitiæ, sunt omnino universaliter veræ.

Talia axiomata sunt: Impossibile est idem simul esse & non esse: seu contradictoria non possunt simul esse vera. Sive, Quod contradictionem implicat, id est absolute impossibile, cuivis potentiæ.

Unum est quod est indivisum in se. Unde, quod dicitur unum, & tamen non semel aut una vice simul distinctè existens, uno eodemque tempore, id non est unum, sed sunt multa.

Unius entis una tantum est uno tempore existentia completa, & unius substantiæ una subsistentia.

Ter unum sunt tria; non proprie unum. Et ter unus sunt tres; non propriè unus.

Ubi sunt tria & præterea unum ibi sunt quatuor:

Ubicunque est multorum aliquorum unio, ibi est compositio aliqua.

B 5

Quod

Quod est Ens unicum simplicif-  
simum, id non habet in se multas  
res, sive substantias diversas seu dif-  
ferentes: multo minus multa simul  
supposita.

Quod est unicum numero indi-  
viduum, id non est in multis simul  
idem totum.

Individuum seu singulare est  
quod est unum numero, ita ut de  
uno tantum subjecto sua natura  
aptum sit prædicari. Ideoque indi-  
viduum non potest dividi in plura  
ejusdem numero naturæ ac nomi-  
nis. Et proinde, singulare non est  
simul idem in multis aliquibus re-  
vera distinctis: nec potest vere  
idem de multis distinctis prædi-  
cari.

Quicquid est in multis simul, &  
prædicatur de multis, ut iis com-  
mune, id non est singulare; sed est  
universale.

Deus Altissimus est ens singula-  
rissimum.

Quæcunque duo in uno tertio  
singulari conveniunt ita ut de eo  
præ-

prædicentur, ea inter se quoque ita conveniunt ut de se prædicentur.

Quæ duo in uno tertio non conveniunt, ea inter se quoque non conveniunt.

Totum est majus qualibet sua parte.

Pars una non est totum.

Ubicunque est totum aliquid ubi sunt omnes ejus partes, non una tantum.

Quod de toto seu omni aliquo prædicatur, id convenit iis omnibus quæ in illo toto continentur.

Totum non est extra se totum idem.

Quod aliquid continet id est majus eo quod in illo continetur.

Infinitum non potest nisi unicum esse in suo genere, seu sua specie, aut suo ordine. Ideo non possunt esse plura simul infinita in eodem ordine.

Persona est substantia completa singularis intelligens. Et quicquid est substantia completa sin-

gularis intelligens, id est persona.

Omne quod est singulare habet suam essentiam singularem propriam, per quam est id quod est, ac ab aliis distinguitur; non communem aliis.

Omne quod fit habet causam efficientem.

Nihil fit à se ipso.

Causa est principium cuius vires est, seu quod dat esse rei.

Causa efficiens est à qua res fit.

Omnis pater est causa efficiens filii sui.

Quæ persona est ab alia, ea non est Deus altissimus.

Omne quod habet aliquod principium sui seu originem, id ipsum non est primum principium sive prima causa: sed est principiatum, & effectum.

Enunciatio exclusiva excludit omnia præter id quod est inclusum.

Omnis generatio est mutatio seu motus à non esse hoc ad esse.

Gene-

Generatio est productio viventis à vivente conjuncto in similitudinem substantiæ.

Ubicunque est productio viventis à vivente conjuncto in similitudinem substantiæ, ibi est generatio.

Quæ persona producitur ab alia persona conjuncta in similitudinem substantiæ, illa est hujus filius.

Omne generans est prius generato, & omne quod generatur est posterius generante.

Omnis pater est prior filio suo.

Quicquid generatur id fit.

Quicquid est in fieri, id nondum perfecte & plene existit.

Quicquid jam plene atque perfecte est & permanet, id ipsum jam non fit rursus, nec generatur idem.

Sempiternum quod semper ab æterno fuit & est permanens immutabiliter, non generatur. Inde, qui est Deus altissimus is non generatur secundum suam deitatem.

Omnis generatio habet initium aliquod existendi.

Quæcunque persona est causa efficiens procreans proxima alterius personæ, illa est hujus pater.

Opposita non possunt attribui eidem, secundum idem, & ad idem, eodem tempore.

Disparata non possunt simul prædicari proprie de eodem; multo minus de se invicem.

Deus altissimus & homo sunt disparata.

Omne agens dum agit habet aliquod patiens quod actionem agentis in se suscipiat.

Omne corpus est quantum & finitum.

Quicquid est finitum ac terminatum, id non potest ubique simul esse.

Omne quantum, habet extensionem aliquam & divisibilitatem, atque partem extra partem; non autem in puncto consistit totum.

Omne corpus, in loco suo proprio adæquato à quo continetur est

cir-

circumscriptivè, locum occupans, ita ut extra illum locum proprium non existat simul in alio loco.

Unum idemque corpus non potest esse simul in multis locis, adæquatis totum, à seipso intervallis divisum, se ipso superius & inferius, sibi ipsi dextrum & sinistrum, eodem tempore.

Quod corpus fit non ex una numero materia nec ab una numero causa efficiente, id non est unum numero.

Duo vel plura corpora non possunt esse simul in uno loco proprio.

Cuicunque convenit definitio ei convenit etiam difinitum: & vicissim.

Accidens non per se subsistit, seu, accidens non potest absque subjecto suo cui accidit, existere actu, ita ut ab eo separatim maneat.

Quod sensus omnes omnium hominum debito modo se habentes non impediti sentiunt, id non est falsum.

Ubi



Ubi est proprium adjunctum, ibi etiam est proprium hujus adjuncti subjectum.

Quicquid est propriè proprium alicujus, id non est commune alteri. Et quicquid est commune, id non est proprie proprium.

Omnis homo verus est persona humana.

Actiones sunt suppositorum: seu non nisi substantiis completis sunt propriè loquendo attribuendæ.

Quicquid habet voluntatem suam proprie, id est persona.

Omnis substantia singularis completa habet suam subsistentiam propriam qua subsistit, non autem alteri substantiæ inexistit.

Qui jam est perfectè sapiens is non proficit sapientiâ.

Quicumque mittitur ab alio ut ejus legatus, is ipse non est Dominus supremus independens.

Qui preces ad alium dirigit, is est persona: ac idem non est Deus altissimus.

Quod necessario fit ut non possit  
non

non fieri, vel aliter fieri, id non fit propriè liberè et si fiat libenter, non coactè.

Quod est liberum id non est necessarium.

Quæ nondum habent veritatem determinatam, ea sciri determinatè non possunt ab ullo.

Qui est sapientissimus, is eum quem scit certò in malitia perman-  
surum non monet seriò ut resipi-  
scat; nec expectat ab eo resipi-  
scentiam & fructus bonorum ope-  
rum.

Qui est justissimus, is absoluto decreto absque respectu culpæ non destinat quenquam ad pœnam gravissimam cum sensu tormenti æterni.

Qui est justus, is non punit proprie loquendo innocentem loco nocentis.

Ad impossibilia facenda nemo à justo Domino obligatur.

Qui est sempiternus immortalis, de eo non est prædicandum, quod fuerit aliquo modo mortuus.

Quod

Quod debitum gratuito remifsum est, & condonatum, id non debet jam à quoquam perfolvi.

Quod est ab aliquo perfolutum pleniffimè, id non est gratis condonatum.

Pro quo ejus loco alius plenè satisfecit, feu fecit id omne quod ille facere debebat, atque debita illius omnia perfolvit abunde, idque ab eo cui debebatur est acceptatum, is jam creditori nihil debet.

Pro quo satisfactum est plene active faciendo id quod is non fecit, pro eo non est satisfaciendum iterum paffive, patièdo pœnas pro eo quod fieri debebat, & non est factum.

Quod corpus est ita remotum & diftans ab aliquo homine, ficut cœlum diftat à terra, illud non potest ab ifto fumi proprie: nifi vel illud ad iftum defcendat, vel ifte ad illud afcendat proprie.

Mortui, quamdiu manent in ftatu mortuorum, non vivunt, nec actiones ullaſ vitales exercent.

hous

Ani-

Anima sola absque corpore non est homo : nec suppositum seu substantia completa.

Corpus quod carnem & sanguinem & ossa habet, non est spirituale.

Talium Thesium seu propositionum atque axiomatum, quicumque cordatus homo terminos ipsos quid significant intelligit, nec obpræ conceptas opiniones atque præjudicia quibus lumen rationis quasi fumis obfuscat & obtenebratur, vim iniquam infert suo intellectui, ac quasi non vult videre, vel negat se videre, id quod videt; is facile agnoscat, istas theses ac propositiones esse evidentis veritatis. Sed ubi à thesi ad hypothesin devenitur, ac istæ propositiones ad præconceptarum opinionum assumptiones applicantur, ibi tum solent talia axiomata in dubium à quibusdam vocari, ad non admittendam conclusionem, vel saltem aliquo modo inepte distingui aut limitari. Talium distinctionum ineptarum exempla sunt.

sunt. Accidens etsi sit id quod inhæret substantiæ; tamen sufficit ut possit seu aptum sit inhærere; etsi non actu inhæreat. At tale accidens non est tunc actu accidens [tantum poterit fortasse alias fieri accidens]. Essentia Dei est aliquid singulare quo ad rem; sed non est singulare quo ad prædicandi modum; quia prædicatur de tribus personis. Sic ausus distinguere Gocleenius in suo conciliatore. At modus prædicandi, si verus sit, debet sequi modum essendi. Filius Dei est à se quoad essentiam, non à se, sed ab alio, quo ad personam. Sic distinxit Calvinus. At sic persona filii Dei quæ est ab alio, non est Deus altissimus: cui nequaquam convenit ab alio esse.

12. Ipsa Sacra Scriptura jubet, vel potius ejus scriptores spiritu Dei sancto afflati præcipiunt, ut in rebus etiam sacris, & ad religionem spectantibus rationis nostræ usum adhibeamus. Paulus Apostolus scripsit, *Omnia probate* seu explore,  
rate,

rate, quod bonum fuerit retinete,  
 1. Thess. v. 21. Johannes Aposto-  
 lus inquit, *Dilecti, ne omni spiritui*  
*credatis: sed probate spiritus an ex*  
*Deo sint*, 1. Joh. iv. 1. Hæc vero  
 probatio seu exploratio non potest  
 fieri absque adhibito rationis judi-  
 cio. David monet; *Ne sitis sicut*  
*equus & mulus, quibus non est intel-*  
*lectus*, Psal. xxxii. 9. Christus  
 ipse docet, *Verbum Dei dum audi-*  
*tur esse intelligendum, & nisi intel-*  
*ligatur non prodesse, eumque demum*  
*qui intelligit fructum proferre*,  
 Mat. xiiii. 19, 23. xv. 10. Marc.  
 vii. 14. ac reprehendit objurgat-  
 que non intelligentes, ibid. 18.  
 & Marc. viii. 17, 18. Idem vi-  
 dere est apud Paulum Apostolum  
 multis in locis, vide 1. Tim. i. 7.  
 11. Tim. ii. 7. Tit. i. 9, 10.  
 Rom. xii. 1, 2. ubi indicat reli-  
 gionem Christianam debere esse ra-  
 tionalem, & probandum esse seu  
 explorandum quæ sit voluntas  
 Dei, bona, & bene placens & per-  
 fecta, 1. Cor. x. 15. *ut prudenti-*  
*bus*

*bus loquor, judicate vos quod dico.*  
 Et 1. Cor. XIV. 20. monet ne simus  
 puelli mentibus, sed perfecti seu  
 adulti.

13. Imo in ipsa Sacra Scriptura, dicta quædam non per solam  
 authoritatem proponuntur, sed  
 etiam rationibus intellectui huma-  
 no atque rationi nostræ accomo-  
 datis confirmantur. Sic Christus à  
 sollicitudine circa victum & ami-  
 ctum non sola authoritate sua, sed  
 etiam rationibus diversis allatis de-  
 hortatur, Mat. VI. 21, 22, 23, 24,  
 25, 26. & seqq. Deum daturum  
 bona filiis suis petentibus probat  
 argumento à minori ad majus,  
 Matt. VII. 11. Pseudopphetas  
 cognoscendos ex operibus ut ex  
 fructibus, confirmata similibus &  
 exemplis arborum, ibid. 16, 17,  
 18. Similiter comprobatur, jejunia  
 non fuisse injungenda discipulis  
 suis, dum eis adefset, Mat. IX. 15,  
 16, 17. Argumento à minori veri-  
 similitudine ad majorem, utitur  
 etiam Matth. X. 24, 25. similiter  
 Mat.

Mat. XII. 11, 12. videantur etiam argumentationes, ibid. 25, & 29. Sic cibus hominem non pollui ita ut ob eos sumtos fiat peccator, probat argumentis, Marc. VII. 18, 19. Se mox post resurrectionem non fuisse spiritum, probat à natura spiritus, per argumentum à diffentaneis, Luc. XXIV. 39. Paulus cum Barnaba, probabant se non esse Deos, argumento à disparatis, quia erant homines, id autem comprobatur ab affectionibus seu adjunctis, Act. XIV. 15. Ventrem cum escis abolendum esse probat Paulus argumento à fine & ad finem destinato, I. Cor. VI. 13. Resurrectionem corporum ob eorum corruptionem negantes, idem Apostolus refutat argumentis, I. Cor. XV. 35, 36, 37. seqq. ut nunc alia ejusmodi præteream. Vide etiam Esa. XLIV. 18, 19. Act. XVII. 29.

14. In ipsis Sacris Literis, & multo magis in Theologorum controversiis, occurrunt sæpe voces seu termini rebus non solum naturalibus



bus sed etiam super-naturalibus communes, qui vulgo vocantur Metaphysici quasi transnaturales, ut sunt, unum, verum, bonum, perfectum, necessarium, totum, pars, causa, effectum, principium, prius, posterius, commune, proprium, signum, actio, &c. Deinde alii, partim ad Physicam seu naturalem philosophiam, partim ad Ethicam seu moralem spectantes. Hos terminos ipsa Sacra Scriptura quid sint quidque significant, & quomodo sint intelligendi, non exponit, neque ex professo docet. Oportet igitur ut homines qui Sacras Literas non sine fructu legere, & sensum earum intelligere volunt, talium aliquam notitiam, per rationem à natura ortam, quamvis non penitus philosophica scholastica subtilitate, sed saltem rudi Minerva (ut ajunt) percipiant. Alioqui quomodo quispiam de istis recte cogitabit, & credet, atque differet quidpiam, nisi prius animo concipiat, & aliquomodo intelligat,

quid

quid ista singula significant, & quidnam sint? Hoc vero qui absque rationis usu fieri posse asseret, is se ipsum rationis usu carere ostendet. Ergo non solum ad ipsam Scripturam pro Sacra agnoscendam ratio nos deducit, ut indicatum est, Num. 8. Verum etiam ipsius Sacrae Scripturae loquentis mentem ac sensum & significationem, Ratio velut interpres nobis exponit atque declarat.

15. Fides Historica quatenus à Scientia distinguitur, authoritati alicujus aliquid credendum proponentis, seu testimonio fide digno proximè nititur, in rebus quidem humanis humano, in divinis autem divino. At argumentum à testimonio, quum sit inartificiale, & ab aliena dependeat notitia, debet inniti rursus & fulciri aliquibus argumentis artificialibus: ut testium istorum adjunctis, ex quibus constet eos esse fide dignos; nempe quod sint ita periti ut non fallantur, & ita boni ac veraces ut non fallant,

C

lant, &c. Si hæc certo constant, tum testibus ob talia & his similia adjuncta, fides indubia adhibetur, & fidei obstantia dubia eximuntur ac tolluntur. Sed hæc ipsa argumenta testi ac testimonio authoritatem ac fidem conciliantia, nonne per rationem à nobis inveniuntur ac dijudicantur?

16. Si in Theologicis controversiis ratione humana uti non liceret, non esset de iis unquam quidquam disputandum, seu confirmandum, aut refutandum. In disputando enim id agitur, ut adversarii rationi seu intellectui, sententia quæ vera esse existimatur, per rationes seu argumenta probetur, idque eo fine ut is quoque eam esse veram ratione sua agnoscat. Hoc ibi disquiritur quid ex quo vere sequatur, quid autem non sequatur. Id vero quoniam quæso alio medio nisi ratione indicatur & judicatur? Si absque ratiocinatione id fiat, perinde absurde agetur, ac si cæci nihil videntes, disceptent inter se de colo-

RATIONALIS. 51

coloribus, aut si furdo fabula narretur. Et isti ipsi qui rationem in rebus Theologicis audiendam negant, dum de hoc disputant, per ratiotinationes quasdam sed non satis rationales id evincere fatagunt: ratiocinando probare conantur non esse ratiocinandum, quod est perabsurdum ac sibi ipsi non consentiens, & suæ rationi credunt atque ab aliis credi postulant, dum negant rationi esse credendum, se ipsos dum id ajunt per ignorantiam lepide refutantes. Velim ab istis rescire, dum illi ipsi probare volunt non esse ratiocinandum, utrum putent se cum ratione argumentari, an absque ratione. Si cum ratione, cur usum rationis à disputando rejiciunt? sin autem absque ratione, ergo ipsorum argutationes sunt irracionales, proinde nihil quidquam arguentes. Hæc igitur ipsa disquisitio, an in rebus Theologicis ratio sit ad judicandum adhibenda, non potest absque rationis usu peragi: quum non

solum rationes pro utraque parte sint inveniendæ & proferendæ, sed etiam eædem, ratione ipsa examinandæ ac dijudicandæ.

17. Denique praxis ipsa ostendit, istos qui in controversiis Theologicis rationis iudicium adhiberi nolunt dum rationibus sibi adversis urgentur, alioqui tamen ipsos in disputando cum aliis adhibere quoque rationes aliquas, & ideo aliorum à se dissidentium assertiones rejicere, quod eis non solum cum verbo Dei, sed etiam cum ratione sana pugnare videantur. Id fieri à diversarum sectarum hominibus, testatur ipsa experientia. Ut, quando Pontificiorum Transsubstantiatio seu substantialis conversio panis in corpus Christi proprium, impugnatur à Lutheranis & aliis Protestantibus, nonne solent ab his contra illos inter alia argumenta rationes peti etiam à natura communi corporis, & quanti & loci, & accidentis. Quum tamen illi suam opinionem stabilire contentur verbis

bis

bis Christi, Matt. xxvi. 26. & divina omnipotentia. Cunradus Dietericus Lutheranus in suis Catecheticis Institutionibus, Transubstantiationem istam evertens in numero fundamentorum validissimorum ponit 5. *Absurdum est, & contra omnem sanæ Philosophiæ rationem, Accidentia sola remanere sine subj. Et: quum accidentium esse sit inesse: & accidens extra substantiam non existat.* Similiter fecit & Petrus Molinæus Calvinianus in Anatomia missæ, & Drelincourt in Centuria argumentorum Gallicè. Lutheranorum autem ubiquitas corporis Christi, à Pontificiis, & Reformatis non solum verbi divini autoritate, sed etiam argumentis ex ratione humana petitis, à natura corporis finiti & ubiquitatis infinitæ, refutatur: quam tamen illi probare contendunt ex verbis sacris, Mat. xviii. 20. xxvii. 20. Eph. iv. 10. Lutherani porro Calvinianos carnem Christi cum tota ejusdem deitate ubique existente arctissime

unitam, secum unà confitentes, & tamen eandem deitatem ita totam in carne esse ut etiam tota sit extra carnem, statuentes, ad absurdam contradictionis implicationem, philosophica ratione deducunt. Videatur Dietericus Instit. Catecheticis, titulo de Persona Christi, sub quæstione, Quid est unio personalis? n. vi. *Errant* (inquit) è Calvinianis isti qui totum λόγον ita in carne esse, ut & totus sit extra carnem, scribunt. *Absurdum!* &c. & deinde, *Contradictorie* igitur sibi invicem opponuntur, esse totum in carne, & totum extra carnem. Hoc enim respectu non erit ἐνσώματος, non διασπρωπῶ : erit simul & semel persona simplex extra carnem, & composita in carne. Hæc ille. Qui dum id scriberet non animadvertit posse sibi quoque pariter objici, ex ipsa Lutheranorum opinione sequi similem absurdam contradictionem, nempe, Totum Christi corpus carneum esse in cælo, & tamen idem totum simul extra cælum.

lum. Foris fuit lynx, domi autem talpa. De Christi corporis in Eucharistia sumptione Reformati protestantur, se non sola signa ejus sumere, ut ipsis objicitur, sed etiam ipsum verum corpus Christi, se ut vere præsens vere manducare, spiritali modo, at non illo tantum, de quo dictum, Joh. vi. 51, 53, 54. Sed alio quodam proprio incomprehensibili: quum tamen fateantur, corpus Christi à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cælum abest à terra. At hunc manducandi corporis modum spiritaliter carnalem, vel carnaliter spiritaliter, refutavit & Zvinglius, ut absurdum: & Pontificii ipsi eundem arguunt ut contradictorium. Libet hic adscribere quædam ex idea Colloquii Thoruniensis, Hieronymi à S. Hyacintho Carmelitæ. Actione 1. cap. vi. §. 3. *Si ab illo symbolo panis tantum distat corpus Christi, quantum à terra cælum, quomodo vera & non imaginaria tantum præsentia illius adest in cæ-*



na? quomodo item vere & proprie manducatur à nobis ipsum Christi corpus, si tantum quoque distat à nobis quantum cælum à terra? hæc enim sunt contradictoria, distare & non distare, sed adesse. Nec per mysterium ad quod confugit Calvinus, bene hanc difficultatem advertens, evadit: nam mysteria sunt quidem supra naturam, sed non contra naturam: Alioqui mille contradictionibus posset aliquis suam religionem implicare, idem & affirmando & negando, & sibi aperte contradicendo: urgentemque ad versarium hac unica solutione expediendo, vel potius eludendo: *Mysterium est.* Egregiè sanè hîc procedit iste monachus discalceatus. Sed forsitan tum non cogitavit, similia sibi suisque tum circa quædam alia religionis mysteria, tum circa ipsam de Eucharistia ac Transubstantione opinionem, eodem jure objici posse. *Medice cura te ipsum.*

Quando autem de S. Trinitate Trinitarii cum unitariis disputant,

tant, nonne præter verbi Dei allegationes, etiam è ratione petere solent argumenta? Talia sunt: Cui conveniunt attributa Dei altissimi propria, is est Deus altissimus; Atqui Filio, &c. cui tribuuntur actiones personarum propriæ, is est persona: Atqui Spiritui Sancto, &c. Cui convenit personæ definitio, is est persona, &c. Num istæ propositiones majores in Dei verbo uspiam exprimuntur? nonne ex ratione humana depromuntur? Quid dicendum de consequentiis quæ ex Sacrarum Literarum verbis inconsequenter & non firmo nexu nectuntur? Exempli gratia: Christus dixit de pane consecrato, *Hoc est corpus meum*: Ergo panis iste convertitur in ipsam substantiam corporis Christi. Quum tamen istud verbum *esse*, possit aliter accipi, nempe pro significare, ut Mat. XI. 14. XIII. 38, 39. Luc. VIII. 11. Joh. VI. 35. X. 7. XIV. 6. XV. 1. Act. IV. 11. I. Cor. X. 4. XI. 25. Apoc. I. 20. XI. 4. XVII. C 5 9, 12, 18.

9, 12, 18. *Christus implet omnia*, Eph. 17. 10. Ergo corpus Christi est in omni loco, quasi non possit aliter implere, ut spiritu suo, ac donis, &c. *Pater & Filius unum sunt*, Joh. x. 30. Ergo sunt unius numero essentiae. Quum tamen dentur alii modi unitatis, etiam in ipsis Sacris Literis. Vide Joh. xvii. 11, 21, 22, 23. Ubi Filius orat Patrem ut discipuli ipsius sint unum, ita sicut ipse cum Patre unum sunt, quum tamen discipuli non possint esse inter se unius numero essentiae. Quid quod Gal. 111. 28. omnes Christiani sive ex Judæis sive ex Græcis, &c. collecti, *unus*, (quod plus videtur) esse dicuntur. Vide & 1. Cor. 111. 8. vi. 17. 1. Joh. 7. 8.

Christus dicitur alicubi Deus: Ergo continuo est ille unicus altissimus Deus, idem qui Pater ejus. Quum tamen etiam angeli dicantur dii, Psal. xcvi. 8. & Psal. viii. 6. quod declaratur, Hebr. 1. 6. & 11. 7. *Quin ipse Christus*

*ex*

ex Psal. lxxxii. 6. ubi de judici-  
 bus terrenis est sermo, docet etiam  
 alios homines à Deo altissimo di-  
 ctos esse deos, ac inde à minori ad  
 majus de se ipso argumentatur,  
 Joh. x. 34, 35. Dicitur Sermo Dei  
 id est, Christus fuisse in principio:  
 Ergo is fuit ab omni æternitate, vel  
 saltem in initio veteris creaturæ.  
 Quum tamen principium ad mate-  
 riam subjectam relatum, sæpe in  
 Sacris Literis aliter accipiatur, ut  
 Joh. xv. 27. xvi. 4. Luc. i. 2.  
 Act. xi. 15. i. Joh. ii. 7. 24. iii.  
 ii. ii. Joh. 5, 6. Christus fuit in  
 forma Dei; Ergo hoc intelligen-  
 dum est de ipsa Dei essentia. Quum  
 tamen forma in Sacris Literis acci-  
 piatur non de interna essentia: ut  
 apparet, Mat. xvii. 2. Marc. ix. 2.  
 xvi. 12. Rom. xii. 2. Spiritus  
 Sanctus dicitur loqui, docere, con-  
 solari, testari, velle. Ergo est per-  
 sona. Quum tales actiones etiam  
 de iis rebus quas personas non esse  
 constat, dicantur, ut Joh. vii. 38.  
 xix. 37. Rom. iv. 3. iii. 19.  
 C 6 Hebr.

Hebr. xii. 24. I. Cor. xi. 14.  
 Psal. xxiii. 4. Joh. v. 36. I. Joh.  
 v. 8. Jac. iiii. 4. Eph. ii. 3. Ana-  
 nias mentiens Spiritui Sancto,  
 mentitus est Deo, Act. v. 3, 4. Er-  
 go Spiritus Sanctus est Deus.  
 Quum simili argumentatione con-  
 cludi possit, Mosen esse Deum Je-  
 hovam, ex Exod. xvi. 2, 8. &  
 Num. xx. 3, 13. & discipulos Chri-  
 sti esse Christum, Mat. x. 40. Luc.  
 x. 16. Joh. xiii. 20.

Istæ vero ipsorum consequen-  
 tiæ, num in ipsa Sacra Scriptura  
 proponuntur? nonne ex ratiocina-  
 tione humana deducuntur? Quid  
 autem nobis indicabit, num istæ  
 consequentiæ sint certo veræ, evi-  
 dentes, ac necessario concludentes,  
 nec ne? nonne Ratio vera? cujus  
 igne admoto ista non solida conta-  
 cta in fumos abeunt. Quid por-  
 rò existimandum de Scholasticæ  
 Theologiæ terminis atque doctri-  
 nis, absque quibus controversias  
 Theologicas implicatas non posse  
 bene explicari, viri docti in diversis  
 sectis

RATIONALIS. 61

lectis statuunt? Ut de consubstantialitate diversarum personarum, de subsistentia ac personalitate, de essentiæ à persona distinctione, non reali, sed rationis, & personarum ab invicem distinctione modali; de generatione sempiterna filii Dei per Patris actum intelligendi seipsum, de personarum invicem circum inessione, de naturarum disparatarum hypostatica unione, de idiomatum seu proprietatum communicatione, & aliis ejusmodi subtilitatibus. Certe isti termini & de iis doctrinæ in Sacris Literis non habentur expresse; sed per humani cerebri ratiocinationes excogitantur. Nonne igitur talium inventores ac Doctores, (ut nunc præteream commentatores, de quibus dictum sub Num. 9.) ipsi rationem suam adhibere conantur, tum ad Sacrarum Literarum sensus abditos eruendos, tum ad questionum Theologicarum nodos enodandos? Cur ergo quod ipsi sibi facere permittunt, id ab aliis fieri prohibent.

C 7

Præ-

Præterea cur Institutiones Logicas & Metaphysicas, diversi in diversis sectis conscribunt, & quidem eas quas utpote universales ad omne ens non solum naturale sed etiam supernaturale spectantes, ad Theologica quoque exempla accomodant? Si ratio humana cujus usum rectum Logica à ratione ex Græca voce denominata docet, quamque (rationem) etiam Metaphysica sectatur, non est in Theologicis controversiis adhibenda; temere ac frustra talia systemata ab istis conscribuntur.

18. Libet hisce argumentis pro Corollario addere Testimonia quædam, diversorum è diversis in Christianitate dissecta sectis authorum, usum rationis etiam in religione approbantium. Lactantius Lib. instit. 11. de origine erroris c. 8. docet, *oportere ea in re in qua vitæ ratio versatur, qualis est religio, suo quemque judicio niti, ad investigandam & perpendendam veritatem, potius quam credentem,*

*alio-*

*alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Ibidem reprehendit eos qui sine ullo iudicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur, &c.*

Tertullianus de Pænit. c. 1. *Quippe res Dei ratio. Quia Deus omnium conditor, nihil non ratione providit, disposuit, ordinavit, nihilque non ratione tractari intelligique voluit.*

Augustinus scripsit, *Nemo sobrius contra rationem aliquid dicit aut statuit. De Trinit. L. IV. c. 6. Idem Epist. ad Marcell. 7. Si manifestæ certæque rationi, velut scripturarum objicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit; nec scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: nec quod in iis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.*

Johannes Ludovicus Vives, de Veritate religionis Christianæ, Lib. 1. *Ratio in oculos atque in ipsum animum ut lux se ingerit,*  
*omnia*



omnia pervadit, ac vincit: *Modo ne quis veritatem excludat, & velut oculos claudat ad splendorem. Sicut facultas vegetabilis ad sensus est via, hi vero velut gradum substernunt quo ascendamus ad mentem; ita humana & naturalis ratio manum præbet exteris, ut ad divinam lucem contuendam sese erigant, & confirmentur.*

Baronius Cardinalis Tomo annalium Ecclesiasticorum secundo editionis primæ, appoluit Appendicem ad Lectorem extra Ecclesiam Catholicam positum. In qua huncipsum, si veritatis tantum sit cupidus accuratè sua legentem, non veretur æquum arbitrum constituere, &c. *Cum (quod æquissimum iudicem decet) tranquilla ratio, mente integra atque sincera, omni animi perturbatione semota, depositisque privatis affectibus, in neutram partem inclinans, sublimiori throno in medium collocato consideat. Si talem (inquit) te iudicem præstas, te ipsum mente turbatum ad*  
te=

teipsum puro mentis obtutu cuncta exactius disquirentem libentissimè provocamus. Ingens sanè vis humane insidet rationi; si tamen nullis constricta compedibus, in omnibus libera, libere agere permittatur. Et ibidem affert exempla, Judæorum de Samaritanis altercantibus, Gentilibus Judicibus victoriam referentium: & Origenis, Ethnico philosopho arbitro ex consensu delecto, quinque hæreticos superantis; & Archelai Episcopi, coram Gentilibus, adhibitis ex consensu judicibus, Manetem hæresiarcham confutantis, &c.

Franc. Suarez Jesuita in *Metaphysicæ suæ proœmio* ita scripsit: *Divina & supernaturalis Theologia, quanquam divino lumine principiiisque à Deo revelatis nitatur, quia tamen humano discursu & ratiocinatione perficitur, veritatibus etiam naturæ lumine notis juvatur, eisque ad suos discursus perficiendos & divinas veritates illustrandas, tanquam ministris & quasi instrumen-*

*mentis utitur, &c. Prima philosophia Sacrae ac supernaturali Theologiae praecipue ministrat, tum alias, tum etiam quia ea naturalia principia explicat atque confirmat quae res universas comprehendunt omnemque doctrinam quodammodo fulciunt, atque sustentant.*

Valerianus Magnus ex ordine Capucinorum, *Judicio de Catholicorum credendi regula, Lib. i. cap. VIII.* asserit; quod naturalis regula judicandi, sit fundamentum non tantum Logices & Philosophiae, sed & fidei in Deum: quod naturale lumen animae nostrae rationalis, complectatur omnia: ita ut impossibile sit ipsum corrigi aut emendari per lucem superiorem, &c. *Ut confidentissime judicem (inquit) nec Deum posse facere ea quae in illa luce mentium intelligo esse impossibilia, v. g. Judico Deum non posse efficere quod pars sit major suo toto, Deum non posse velle aeternam damnationem justis, idem c. IX. Et dato casu,*  
quod

quod mundus universus & angeli omnes, nedum universa Ecclesia satagerent evertere præfatum meum iudicium, nihil efficerent. Quod si quis instaret, Captivandum esse in obsequium fidei eousque nostrum intellectum ut in dubium trabamus, vel falsam in aliquo casu ponamus regulam iudicandi inditam nobis à natura; dico, necessario eo ipso everti ipsam fidem: Quum sit absolute impossibile credere alteri cuicumque sine ratiocinatione per quam concludatur eum cui creditur nec decipi, nec decipere: quæ ratiocinatio, ut patet, non consistit sine hæcenus explicata naturali regula iudicandi.

Idem Lib. IV. cap. XI. At ego imparvidus, pronuncio Catholicam sententiam:

1. Quilibet & quælibet hominum, etiam infidelium, potest ac debet iudicare de religione Christiana, an Deum habeat authorem, qui per Jesum à Nazareth vocet genus humanum ad vitam æternam. Hoc iudicium fit ratiocinando, &c.

2. Qui-

2. *Quilibet & quaelibet potest ac debet secum definire veram ex multis sectis Christianorum, quæ nimirum sit vera Ecclesia Dei & Christi ejus, iis argumentis, quorum capitale sit ipsum regum cælorum, accuratius inspectum, &c.*

Thomas Anglus ex Albiis, Villicationis de medio animarum statu Introductione, ita scripsit. *Ea est rationis nobilitas, & in humanam naturam quum recte disposita est, dominatio, ut si quid demonstratione confectum est, id certum sit nulla posse auctoritate convelli. Quid enim audeat auctoritas, nisi eam ratio veritatis esse tenacem pronunciat verit? aut poterit ratio hoc de ipsa sentire, si demonstrationi credat oppositam.*

E Lutheranis, Meisnerus, contra Socinum disputans scripsit; *Ubi est vera realisque repugnantia seu contradictio, ibi falsitatem aliquam quæ credi non debet subesse, certum est. Et postea, ex quibus porro apparet, proprie loquendo, nul-*  
lum

lum mysterium esse contra rationem,  
in vero usu constitutam.

Kesslerus, *Examine Logicæ Photinianæ* coroll. 5. ita ait: *Qui sensus manifestam infert absurditatem, & palpabili impugnati ne recte rationi adversatur, ille admitti nequit: & proinde alius verborum sensus, beneficio adminiculo um legitimè interpretandi est querendus. Quod enim directe est contra rectam rationem est contra ipsum Deum, quandoquidem recta ratio Deo non repugnat: sed ejus pronunciata sunt verissima, è fonte veritatis Deo deducta. Vult igitur, Donum dono non repugnat, & Deus per principia recte rationis non est sibi ipsi contrarius, in Scripturis loquenti. Idem ibidem pag. 36. seqq. Universalissima rationis principia (v. c. de contradictione vitanda) in omnibus omnino disciplinis vera esse, inque ipsa Theologia locum habere, afferit.*

Danhawerus, *idea boni interpretis*, pag. 91. *Vera causa cogens tropi-*

tropicam explicationem est, 1. *Contradictio manifesta, quæ nulla ratione potest conciliari, &c.* 2. *Causa cogens tropicam explicationem, est sensus manifesta ac certa absurditas, orta, vel 1. ex historiae profanae & eventus dissonantia, vel 2. ex prædicationis Logicæ impossibilitate, quodque v. c. Disparatum de disparato dici nequeat.* Idem, idea boni disputatoris, scripsit, *Scripturae sensum non posse esse eum qui sanæ seu certæ & manifestæ rationi contradicat, &c.* p. 116.

Ex Reformatis, *Jacobus Grynæus in Disput. Heidelbergensi de S. Coena th. xvi. reprehendit eos qui rationis testimonium non admittunt in Controversiis Theologicis: & th. xxv. inquit: Rationi humanæ quæ post regenerationem spiritualis facta est, fidem non derogamus.* Videatur ejusdem præfatio Disputationis de Sermone incarnato.

*Rodolphus Goclenius Præfatione in Controversias Logicas & Philosopho-*

lofophicas, scripsit, præter alia:  
*Nec verum est, rationem & sensus  
 prorsus cum fide, & hanc cum illis  
 ex diametro pugnare. Multa qui-  
 dem supra naturalem rationem docet  
 Scriptura: sed nihil docet quod  
 omnino sit contra eam, &c. An de  
 capite aliquo fidei disserens Theolo-  
 gus, rationis discursum non adhibet?  
 Non certe vult videri spoliatus ra-  
 tione. Et mox ibidem; Ipsa igitur  
 Philosophia, ipsa ratio, non repugnat  
 per se Deo & veritati divinæ; sed  
 homo illa abutens: neque vitium  
 hoc personæ, referri patitur ad rem,  
 à persona male indigneque tracta-  
 tam. Ad extremum, divina prorsus  
 non convenire cum rebus creatis, in  
 notionibus, crassus ἀνομιαν (amen-  
 tium) error est.*

Videatur etiam Bucanus, Loco  
 XXXVIIII.

Comenius *Physicæ Synopseos*  
 præfatione, scripsit; *Qui Scriptu-  
 re soli, sensu & ratione non auditis,  
 attendunt, illi aut mundum præter-  
 vebuntur; aut res non intellectas*

CAR-



carbonaria fide involvunt: aut literam sequuti, absurda & superstitiosa quæque credenda sibi proponunt: ut Pontificii, in absurdissima illa Transubstantiatione sua, &c. Et paulo post: Nam quemadmodum nihil in fide, quod non prius in intellectu. Credentem enim scire oportet quid credendum est. Hinc scriptura passim ad audiendam, videndum, gustandum, considerandum, fidemque ex auditu venire asserit. Et postea: Nihil fides affert quod rationi contrarium & cum ea pugnant sit: (licet afferat quæ præter & supra rationem sunt) sed omnia talia quæ ratio non solum autoritate victa concedit sed & rebus ipsis verè inesse deprehendit, adeoque de suo quod eidem veritati firman læ & illust. andæ serviat, quærit, & invenit.

Enthusiastæ qui Quakeri vulgò dicuntur & similis farinæ homines, quamvis se spiritus divini lumine internam mysteriorum revelationem adeptos jactent, quod ipsum  
h

si illis negetur nulla id ratione firma confirmare possunt, quia rationis examen in sacris rejiciunt; tamen velint nolint, ratiocinatione aliqua etiam circa res sacras dijudicandas uti debent: Quod ni fecerint, tum alios contradicentes, vel contrarias revelationes sibi factas pari jure proferentes, nequaquam refutabunt, tum ipsi ut irracionales phanatici ac phantastici, delirare, ac pro veritate errores atque nugas quaslibet mysteriorum titulo relatas amplecti poterunt. Ex iis unus Robertus Barclajus in suis Thesibus Theologicis, thesi secunda, fatetur quidem, revelationes internas à Dei spiritu profectas ad fundandam veram fidem necessarias, sanæ rationi, ut & externo Scripturarum testimonio non contradicere, nec unquam contradicere posse; non tamen sequi censeat, has revelationes ad externum Scripturarum testimonium, aut etiam ad rationem naturalem seu humanam, tanquam ad certiore

D

amul-

amissim examinationi subjiciendas esse. Nam (inquit) *divina revelatio & illuminatio interna, est quiddam per se evidens & clarum, intellectum bene dispositum propria evidentia & claritate flectens & cogens ad assentiendum, &c.* At, unde, quæso, patebit, intellectum alicujus esse bene dispositum, aut secus? Unde quoque cognoscetur, hanc vel illam revelationem esse à divino spiritu non autem ab alio aliquo profectam? unde etiam sciatur eam sanæ rationi nequaquam contradicere; nisi prius quid ratio sana quid contradictio, quæve ejus lex ac regula sit, ex ipsius rationis sanæ luraie agnoscatur? Sicut aurum & argentum num verum ac bonum sit ad Lydium lapidem exploratur; ita sententiæ num veræ sint an falsæ, ad rationis rectæ dictamen explorantur. Et nihilominus etiam hac sententia posita sequitur intellectum humanum debere istas revelationes divinas aliquo modo intelligere, ut eis  
post

post intellectionem assentiatur. Et nobis nunc sufficit, revelationes à Dei spiritu profectas, sanæ rationi nunquam contradicere posse; quod iste Quakerus confitetur.

### Objectionum quarundam solutio.

**A**dversus ea quæ de rationis in rebus Theologicis usu profertur, solent à quibusdam quædam opponi. Quæ ne cuiquam sint impedimento, removenda sunt nobis, præsertim notabiliora: Sed ita ne opusculum istud in majorem quàm par est molem excrescat.

Si igitur qui ratiocinatione probare conantur non esse ratiocinandum, quo ipso se ipsos refutant; ajunt inter cætera; Rationem humanam facile falli & errare: quod experientia in multis hominibus de multis rebus, doceat. Ergo non posse rationem istam vel ejus judicium pro recto controver-

fiarum criterio ac velut amussi  
haberi.

Resp. Si hæc objectio genera-  
tim valeret, sequeretur, nec in re-  
bus Physicis seu naturalibus, nec  
in Mathematicis, nec in moralibus,  
nec in mechanicis & artificialibus,  
aliquid esse pro vero aut falso ha-  
bendum: sed semper de omnibus  
dubitandum: more Scepticorum  
seu Pyrrhonorum. At quamvis  
multi homines errent in multis:  
tamen non omnes in omnibus om-  
ni tempore errant. Sunt quædam  
ita evidentis veritatis ut de iis inter  
omnes homines qui non sunt a-  
mentes ac furiosi, vel pertinacia  
dementati, facile possit convenire:  
Cujusmodi liquet esse ea quæ com-  
munes notiones vocantur. Talia  
sunt pleraque superius sub n. I I.  
recensita.

Circa ea quoque quæ à sensibus  
externis prout ipsis apparent ita  
referuntur, interdum opinio deci-  
pitur. Non tamen ideo sensuum, si  
sint bene dispositi ac non impediti,  
testi-

testimonium est rejiciendum. Nam & Dominus Jesus probaturus Apostolis se ipsum vere è mortuis resurrexisse, ad sensus ipsorum provocavit, Luc. xxiv. 39, 40.

Si quis dicat quidpiam interdum ut dubium menti apparere, quasi in æquilibrio positum; videndum est animo collatis utrinque legitime argumentis, annon tandem in bilance sententia lanci alteri imposita ob argumenta graviora apposita, aliquatenus præponderet. Hæc igitur tunc illi alteri erit præferenda. De dubiis autem quamdiu dubia manent, non est quidpiam quasi certum decernendum. Præterea notandum est, etsi aliquando difficile sit quid plane verum sit statuere; tamen non æque difficile esse, quid omnino falsum & absurdum atque impossibile sit, ratione sana adhibitâ agnoscere.

Dicunt multi, rationem hominis cujusque in rebus divinis perspiciendis cæcutire, ideo quod per peccatum quod vocant originale à

primo homine commissum & ipsius post lapsum, & omnium ejus posterorum ratio sit corrupta, & excæcata. Sed prætermisso nunc prolixo de peccato isto originali examine, dico non posse legitime probari, per istud unum primum peccatum ita vitiatam esse non modo ipsius primi hominis sed etiam aliorum omnium ex ipso ortorum naturam, atque animam rationalem (quam tamen non ab ipso originem habere plerique opinantur) ut quod Adamus ante lapsum suum cognoscere potuit, id nunc homo quispiam similiter cognoscere nequeat. Nam tamen etiam post Adamum homines sunt homines, id est rationales, seu ratiocinandi facultate præditi, in communibus notionibus consensum tenentes. Et post Adami lapsum Deus hominibus dogmata salutaria proposuit, eoque ab eis intelligi voluit. Quod certe inconvenienter factum fuisset, si vel ipse eorum intellectum excæcasset, vel excæcari sivi-

livisset, ac scivisset. Hinc inter Pontificios nonnulli, quanquam peccatum originale agnoscentes, tamen facultates hominis superiores, ut mentem atque intellectum à peccati originalis infectione immunes esse existimant.

Scriptit quidem Paulus Apostolus, *Animalem hominem non percipere ea quæ sunt Spiritus Dei*, 1. Cor. c. 2. v. 14. Sed primùm, non quicumque est homo is est homo animalis. Per animale significatur is qui tantum res sensuales hujus vitæ terrenæ spectat, similis animali bruto, animæ inferioris seu appetitus bruti ductum sequens. Videatur similis vox, Jac. 111. 15. & Judæ vs. 19. At reperiuntur inter homines etiam nondum luce Euangelii illuminatos qui non sunt animi tam abjecti atque bestialis. Alioqui frustra hominibus antequam in spirituales evaderent, Euangelium annunciareretur, si ejus nequaquam capaces essent. Deinde non scripsit Apo-

D 4            stolus



stolus hominem animale non posse ullo modo capere id est animo percipere seu intelligere res divinas spirituales; sed negat eum illas suscipere seu agnoscere esse veras ac bonas, cum approbatione. In textu est verbum *δέξασθαι*, quale exstat etiam, Mat. x. 14, 40, 41, 42. xi. 14. Luc. viii. 13. Act. xi. 1. Gal. iv. 14, &c. quibus locis certe non significat percipere intelligendo, sed suscipere. Ac quamvis mox ibidem scriptum sit, *Et non potest ea cognoscere*, tamen hoc potest accipi non de impotentia naturali, sed de morali, ut sæpe accipitur. Et tamen non posse ista cognoscere id est agnoscere cum approbatione pro bonis, quamdiu manet animalis; tamen non est statuendum eum non posse istum animum animale deponere, etiam antequam accipiat donum spiritus sancti: quod ordinarie iis demum dari solitum qui Euangelium Christi prædicatum ac intellectum pro vero per fidem susceperunt.

Eodem

Eodem spectat quod idem Apostolus scripsit Rom. VIII. 7. *Sapientia* (potius affectus vel studium) *carnis, inimicitia est in* (seu adversus) *Deum*. Ubi non sanæ rationis usus reprehenditur, sed id quod carnales cupiditates resipit, easque replere studet. Simile dictum est, quum *sapientia hujus mundi*, I. Cor. I. 20. & III. 19. atque *sapientia carnalis*, II. Cor. I. 19. improbatur.

Ajunt plerique; *Mysteria fidei* esse ita sublimia, ut quum sint altè supra rationem humanam posita, non sint humanæ terrenæ rationis decempedâ metienda. Resp. An id ignorarunt viri divini, ut Christus, & ejus Apostoli? quod si non ignorarunt, cur tamen res Theologicas ratione humana cognosci & dijudicari præceperunt? de quo vide dicta superius n. 12. Concesso eo, quod res supernaturales sint supra rationem, (quatenus ratio nostra humana earum essentias ac modos penitus penetrare nequit;

quit; qualia etiam in rebus naturalibus non pauca reperiuntur) non tamen concedendum est eas esse contra rationem. Certe non ita ut admittant idem simul esse & tamen non esse. Sic Deum esse æternum, ita ut omni principio careat, mysterium est, quod quibusdam videtur ratione incomprehensibile: at tamen ratio evincit id non esse impossibile, imo etiam in causa prima causarum, necessarium esse. Eundem Deum creasse coelum, tellurem, sidera, &c. quum antea non essent, superat rationem humanam: sed non est contra rationem; præsertim si non ex merè nihilo, quod in Sacris Literis nusquam existat scriptum, sed ex materia informi condidit, ut scriptum est Sap. xi. 18. Homines mortuos resuscitatum iri, mirum est, sed non repugnat rationi: nec implicat contradictionem.

Objiciuntur hic miracula quæ videntur & naturæ & rationi repugnare: nihilominus tamen credenda sunt. At

At miracula sunt quidem supra naturam, seu supra aut præter naturæ cursum ordinarium; sed tamen eadem non sunt rationi contraria, ita ut communes rationis notiones evertant. Sic ignis in fornace Babylonica non ussit tres juvenes injectos; non quod non haberet facultatem urendi; sed quia per angelum Dei, qui in fornacem descenderat, actioni urendi ne esset efficax interpositum fuit impedimentum: nempe flatus rosceidus in medio ejus excitatus: quod scriptum in Additamentis, Dan. 111. 50. Sic quum Jos. x. Sol diutius solito super horizontem commoratus quasi substitisse, & 1v. Regum xx. decem gradibus retrocessisse, narratur; nec hoc rationi repugnat, quum non sit impossibile, ut sicut horologiorum faber quando vult, horologii gnomonem vel inhibet, vel retrahit, sic Deus hujus magnæ mundi machinæ opifex, vel Solis sphaeram stiterit, aut retro egerit, vel potius, quod est verisimilius,

telluris globum mobilem ita tractaverit, ut id solis respectu hominibus ita apparuerit. Similiter nec hoc est contra rationem, ut Christo crucifixo solis lumen præter solitum tempore plenilunii, fuerit oculis hominum absconditum: nempe vel nubium densarum, vel potius è sole ipso evaporantium exhalationum, quas hodierni quidam Mathematici solis maculas appellant, quasi velo obvelatum. Virginem absque viri congressu, sed spiritus divini afflatu, imprægnatam, peperisse filium, non evertit rationem, nec est ἀδύνατον: ubi tamen non est fingendum, non aperto utero foetum hunc ex ea exivisse. Securim ferream in fundum fluminis delapsam, ligno illuc demisso sursum emerfisse IV. Reg. VI. mirum est, sed non omnino contrarium rationi; quid si vi quadam spirituali, vel attractum fuit, ferrum, vel impulsum? Christum super aquas ambulasse, imo & Petrum aliquousque antequam fides ejus vigere  
 cessa-

R  
 cessaret  
 potuit  
 aquis  
 potius  
 alevato  
 substanti  
 non ev  
 nobis  
 id fact  
 succor  
 an ex  
 Sed hoc  
 vino ibi  
 non vi  
 Christi  
 pulor  
 vesperi  
 sus tep  
 sonum  
 divina  
 autem  
 corpu  
 offeun  
 cedem  
 ra sim  
 alhis  
 dum

cessaret, mirandum est; at fieri potuit, aut ut quibusdam placet, aquis ad tempus quasi duratis, aut potius corpore humano ope divina allevato. Aquæ substantiam in vini substantiam repente mutatam esse, non evertit rationem; quamvis nobis ignotum sit, quonam modo id factum fuerit: utrum vinario succo aliunde extracto illuc indito, an ex elementis facto, vel aliter. Sed hoc fuisset contra rationem si vino ibi jam existente, tamen illic non vini sed aquæ sapor mansisset. Christum dum redivivus ad discipulos suos quum janua esset clausa vesperi veniens, cunctis improvisus repente adstitit; id non est absolum, ita factum, ut janua vi ejus divina clam aperta fuerit. Non est autem necesse statuere, tunc, vel corpus quod adhuc carneum & osseum erat per corpus ligni non cedentis penetrasse, vel duo corpora simul uno in loco extitisse. In aliis similibus similiter: etsi modum quo miranda opera effecta

D 7

sunt

sunt ignoremus, tamen ea absque contradictionis implicatione, quæ prorsus impossibile infert, facta fuisse credendum est.

Præterea, sufficere nobis debet, ut mysteria divina eatenus quatenus ea nobis Deus verbo suo indubitato clare revelavit, cognoscamus: ea autem quæ nec expresse ibi revelata sunt, neque cognosci à nobis possunt, aliter quam ibi expressa sunt proferre aut etiam pro articulis fidei necessariis statuere non audeamus. Imo si ita sicut sonant accepta inferant absurdum manifestum, eam acceptionem linquamus. Rem ipsam esse credamus: at modum rei ignotum, aut merito dubium, ne ita scrutemur ut eum absque dubio affirmemus: quum possit alia proferri non incommoda explicatio. Huc potest accommodari illud, *Scrutator majestatis, opprimetur à gloria*, Prov. xxv. 27. (quanquam id alii aliter interpretantur) quod sæpe decantatur ab iis ipsis qui mysteria non revelata

scru-

scrutantur & quasi certo comperta  
asserunt, ac deinde ea examinari  
recusant. Huc spectat & illud Si-  
rachii c. IIII. *Difficiliora quam qui-  
bus par sis, ne quæras: & ne scrute-  
ris stultè quæ vires tuas supe-  
rant, &c.*

Vulgare atque consuetum, à  
multis, axiomata è ratione sumpta  
eludere molientibus effugium que-  
ritur, non valere talia effata, in re-  
bus divinis, sed solùm in humanis;  
in naturalibus, non in supernatura-  
libus. At in hoc vano latibulo non  
latebunt. Namque ista non sunt  
solis rebus humanis aut physicis  
propria, sed etiam divinis ac sacris  
communia, quippe prorsus uni-  
versalia, ut tam his quam illis con-  
veniant in communi conceptu. Ta-  
lia sunt pleraque allata sub Num.  
II. Certè non minus in divinis  
quam in humanis verum est unum  
esse indivisum in se, singulare non  
prædicari de multis, Relatum habe-  
re suum correlatum, Attributum  
non posse existere absque suo sub-  
jecto,



jecto, Quod generatur id produci.  
 Alioqui sequeretur in divinis  
 unum posse esse non unum, singu-  
 lare non singulare, simplex non  
 simplex, causam non causam, ge-  
 nerationem non generationem,  
 accidens non accidens, corpus  
 non corpus, &c. adeoque verum  
 non verum.

Solenne est plerisque religionis  
 specie rationem opprimere cona-  
 tibus, urgere illud, *Apud Deum  
 omnia esse possibilea*, Mat. XIX. 26.  
 Non negamus à Deo omnipotente  
 fieri posse quæ sunt præter & supra  
 ordinarium cursum, qualia sunt  
 miracula vera. Sed & non quic-  
 quid Deus facere potest, id eum  
 actu ipso facere constat, nisi id eum  
 voluisse & fecisse evidenter revele-  
 tur: & illa ipsa quæ naturæ cur-  
 sum superant, tamen ipsam rerum  
 naturam, & (ut Philosophi vocant)  
 quidditatem, ac ratione à Deo data  
 observatas notiones, non evertunt.  
 Nam si quæ id faciant, & impli-  
 cando contradictionem idem simul  
 esse,

esse, & non esse statuant; ea quum consistere nequaquam possint, quum sint figmenta plusquam Chimerica, sunt mere non entia; ideoque talia à nulla potentia, ne à divina quidem fieri posse, omnes in omnibus sectis homines intelligentes, ipsa ratione sana duce, agnoscunt & confitentur. Proinde talia velo omnipotentiae divinae frustra aliqui velare moliuntur. Alioqui nihil omnino nobis plane verum ac certum maneret, quod non limitationibus aut distinctionibus Sophisticis everteretur. Sic omnia Sceptico ac Pyrrhonio more relinquerentur: vel Arcesilæ instituto, ac novæ Academiae consuetudine, nihil prorsus sciri posse statueretur.

Multi quum in ipsorum assertionibus absurda intellectui repugnantia ostenduntur, illud inculcant; *Captivandum esse intell etum nostrum in obsequium fidei*; quasi id voluerit S. Paulus 2. Cor. x. 5. At Apostolus ibi de se vel etiam de sui  
 simi-

similibus Euangelii præconibus, dicit, *se in captivitatem redigere omnem intellectum seu cognitionem ad obediendum Christo: nempe dum armis militiæ non carnalibus sed spiritualibus (de quibus ibi superius est dictum) hominum aliorum Christo adversantium mentes erroribus addictas, ad assentiendum religioni Christianæ, firmis documentis probatæ, adducerent, atque humani ingenii commenta fidei argumentis irretirent, ut Benedictus Justinianus Jesuita ad hæc verba annotavit. Non hoc voluit Paulus, ut homines proprium suum intellectum ita in captivitatem redigerent, ut non percipientes nec dijudicantes, num ea quæ ab ipso annunciarentur possent esse veritati consentanea nec ne, imo etiam si essent rationi prorsus contraria ac inter se contradictoria, cæco impetu tanquam indubitanter vera susciperent. Plerumque certe ii qui de captivando intellectu sic asserunt, effectu ipso ostendunt intelle-*

rellect  
quali  
intellig  
vna ac  
ter legat  
lebat h  
pientes  
7. 8.  
de sup  
ita ut  
est un  
in dog  
contra  
crelect  
moder  
perun  
habere  
dicta e  
prieat  
Tum  
comm  
ne deb  
sed &  
rum de  
opinio  
dere C  
carnis

intellectum suum ita in captivitate &  
 quasi carcere detineri, ut facultate  
 intelligendi libere non utatur, sed  
 vana ac erronea quasi vera servili-  
 ter sequatur. At Apostolus ipse vo-  
 lebat homines dicta ipsius acci-  
 pientes ea *intelligere*, II. Tim. II.  
 7. & *judicare*, I. Cor. X. 15. vi-  
 de sup. sub num. 12. Alioqui, si,  
 ita ut isti postulant, captivandus  
 est unicuique homini intellectus  
 in dogmatibus Theologicis, ut  
 contradictoria etiam & absurda  
 credenda sint tanquam vera, dum-  
 modo ex sacris dictis quamvis per-  
 peram acceptis aliquem videantur  
 habere colorem, tum & improprie  
 dicta erunt absque respectu pro-  
 prie accipienda, vide sup. num. 10.  
 Tum non solum Pontificiorum  
 commento de Transsubstantiatio-  
 ne debent assentiri Protestantes;  
 sed & Pontificii ipsi Lutherano-  
 rum de corporis Christi ubi-  
 quitate opinioni; & tum hi tum illi applau-  
 dere Calvinianorum sententiæ de  
 carnis Christi realis in cœlo ma-  
 nentis,

nentis, spirituali at tamen propria ac reali ab hominibus in terra manentibus manducatione : ut nunc alia præteream.

Solet etiam illud in ore haberi à multis, eorum qui absurdis opinionibus fidem habendam poscunt, *Fides est credere quod non vides.* Huc trahunt illud dictum, *beati non videntes & credentes*, Joh. xx. 29. Fateor sanè, fidem majorem esse quam quis ea quæ non videt oculis corporeis credit tamen esse vera, nempe si eorum veritas ipsi auctoritate irrefragabili persuadeatur; ut in rebus divinis testimonio divino certo. Sic fide apprehendimus mundum esse creatum verbo Dei; sic miracula certa divinitus patrata credimus: Sic historiarum de Jesu Christo fidem adhibemus: quamvis hæc ipsi non vidimus. Sed visio spiritualis seu intellectio non debet à fide abesse, alias esset cæca credulitas. Deinde etsi bona sit ista fides credere quod non vides; at tamen hæc non est bona fides, non cre-

credere esse id quod esse vides. Talem autem fidem nobis ingerere conantur ii qui ea quæ evidenter contradictoria ideoque veritati repugnantia esse ostendimus, quorumque contraria vera esse videmus, tamen quasi essent prorsus vera, credenda nobis imperant. Exempli gratia in Eucharistia sacra quamvis non solum visu sed & olfactu, gustu, panem ac vinum esse, homines ex propriis adjunctis experiantur, tamen isti nec panem nec vinum isthic adesse, credendum persuadere nituntur. At Christus ipse discipulis suis ut se verum corpus habuisse crederent, visu & tactu id comprobavit, Luc. xxiv.

39 Denique cum visione fidem bene consistere, docemur illis dictis, Joh. xx. 8. *vidit & credidit*, 27. *vide manus meas, &c. & ne sis incredulus sed credens*, 29. *quia vidi- sti Thoma, credidisti.*

Ajunt nonnulli, si ratione sint judicandæ fidei controversiæ, non habebimus fidem, sed scientiam:  
scire

scire quippe & credere ita differunt ut bene convenire nequeant. Respondetur: Est quidem verum, credi seu fidem haberi proprie iis quæ auctoritate testimonii fide digni probantur: Scientiam vero strictè dictam esse eorum quæ de rebus necessariis per proximas & necessarias causas demonstrantur. At late accepto sciendi verbo, credere & scire non pugnant inter se, sed bene conveniunt, & in una sede morantur. Id patet ex ipsius S. Scripturæ dictis. Videantur ista, Joh. iv. 42. vi. 69. xvii. 8. Rom. xiv. 14. I. Cor. xv. ult. II. Cor. v. 1. I. Joh. v. 13, 15. Deum sane quem non vidimus, existere credimus, & tamen ut id primum fidei fundamentum tum à nobis ipsis firmiter teneatur, tum ab atheis incredulis credatur, non tam authoritate quam rationibus conquisitis atque prolatis evincere molimur. vide sup. in ratione 8.

Nov

Non est cur nobis à Quakeris  
objiciatur. Nos hoc modo lumen  
naturale rationis nimis extollere:  
lumen verò supernaturale Spiritus  
divini sancti deprimere. Absit.  
Utrumque istud lumen à Deo esse  
agnoscimus, utrique locum suum  
relinquimus. Ab hoc superiore non  
eliminatur illud inferius, sed per-  
ficitur & elevatur: ac ubi lumen  
naturale deficit, ibi ejus defectum  
supplet supernaturale, additque  
penitiorum ac pleniorum & clario-  
rem divinorum revelationem my-  
steriorum. Videatur quid Johan-  
nes Crellius in Tractatu de Spiri-  
tu Sancto qui fidelibus datur scri-  
pserit, præsertim cap. iv. de effe-  
ctis Spiritus Sancti. Ubi etiam in  
Prolegomenis, spiritum hunc san-  
ctum qui hominibus datur post fi-  
dem susceptam, ab Evangelio post  
prædicationem scriptis consignato,  
discernit. An isti, agricolam, si  
dicat sibi esse plantandum & ri-  
gandum, quamvis Deum dare in-  
cre-



crementum , fateatur suam curam supra Dei gratiam extollere affirmabunt? At ipsi Quakeri lumen hoc supernaturale Spiritus Sancti quasi profanant, dum id omnibus hominibus etiam Ethnicis Historiæ Christi ignaris, commune facere volunt: deinde verbum Dei scriptis consignatum cum ratione recta (quam quasi corruptam & carnalem immeritò traducunt) adhibitum, veram salutarem rerum divinarum scientiam sufficienter communicare negant. Ipsi autem dum eis in dissertationibus cum aliis aliquid probandum & confirmandum est, tamen Scripturæ Sacræ testimoniis, & è ratione depromptis axiomatibus, utpote communibus principiis, utuntur: ut patet in Barclai apologia quum in ejusmodi disceptationibus per suas internas revelationes quibus gloriantur, prolatas, nec hilum apud disidentes proficere queant.

Objicitur à quibusdam dictum  
Apo-

Apostoli, Col. II. 8. ubi monet, *videamus ne quis nos decipiat*, seu quasi prædam abducatur, aut deprædetur, *per Philosophiam*. Sed addit Apostolus ibidem mox, & seu id est, (ut hæc vocula sæpe significat.) *in nem deceptionem*, seu fallaciam. Intelligit ergo non ipsam veram Philosophiam, sed pseudo-philosophiam Sophisticam, quæ Christi doctrinæ non consentit: at vera Philosophia ei consentit. Ne paralogismis seu fallacibus argumentationibus, à ratiocinatione vera discrepantibus, quod ibidem superius v. 4. indicatur vel ut fatuis ignibus à recta veritatis via seducamur, (quod Adversarii nostri rationes veras repudiantes, non raro facere tendunt,) id monet Apostolus. Porro sublato rei abusu, non est usus rectus ac legitimus tollendus. Nam vix quidquam ita bonum & utile est, quod non imperitia vel malitia utentium in abusum converti queat. Ut non solum de

E

igne,

igne, aqua, cultris, cibus, literis profanis, sed etiam de ipsis Sacris Literis ac verbo Dei, docet experientia. Nos autem ratione ac Philosophia circa dogmata religionis abuti, non potest ab aduversariis probari.

Dicunt aliqui, si rationi humanae iudicium permittatur, tum quot hominum capita tot erunt sententiae diversae. Resp. Dictum hoc est hyperbolicum. Experientia docet, non modo in Philosophicis, Mathematicis, Juridicis, Medicis; sed etiam in Theologicis quibusdam assertionibus, inter eos qui eas ratione dijudicant non tot esse sententias quot sunt capita: sed multos similibus rationibus cognitis induci ad similes enunciationes statuendas.

Dicet hic aliquis, si de rebus fidei est ratiocinandum, & argumentandum, tum homines indocti absque arte ratiocinandi Logica, & absque Philosophiae notitia non  
pote

poterunt rerum Theologicarum, ad fidem ac religionem Christianam spectantium, cognitionem habere, ac proinde neque salutem adipisci. Sed respondetur primum hominibus ineruditis, (qui tamen possunt aliquam etsi non artificialis, saltem naturalis, ut sic dicam, Logicæ, aliquam habere peritiam) sufficit si cognoscant scitu ad salutem necessaria, etiamsi abstrusiora, quamvis utilia, at non prorsus necessaria, parum percipiant. Hæc vero necessaria sine quorum noticia salus obtineri omnino nequit, & non adeo multa reperiuntur, & sunt in sacris paginis satis clare consignata: ita ut à rudibus & illiteratis quoque, dummodo non sint penitus bardi ac stolidi, & debitam adhibeant attentionem, divinâ ope Spiritus Sancti ad melius intelligendum implorata possint intelligi. Quod etiam aliqui Doctores Ecclesiastici agnoverunt. Ut Augustinus de Doctrina Christia-

E 2

na,

na, Lib. 2. c. 6. Epiphanius in hæresi 75. Chrysoſtomus in 2. Theſ. homil. 3. Qui autem ſunt ingenii ſublimioris, & doctrina perpoliti, eos decet ulterius progredi, ac etiam profundiorum religionis myſteriorum in Sacris Literis revelatorum, accuratiori in-  
 quiriſitioni, & à ſophiſmatis contra fallaces ſophiſtas vindicationi, operam impendere. Quod abſque Logicæ, alicujus ut ſili Ariadnæi in his Labyrinthis, ope, fieri nequit: ut eruditi Theologi in diverſis ſectis per ſeipſos experiuntur. Neque vero exiſtimandum eſt, inconveniens eſſe, ad penitiorum rerum Theologicarum notitiam requiri aliquam Philoſophiæ veræ cognitionem, ut inſtrumentum adjuvans. Sicut ipſius alpha-  
 beti pueriliſium elementorum atque Grammaticæ notitia ad legenda & intelligenda non ſolum philoſophica & juridica profana, ſed etiam ſacra ac divina & Theologica ſcripta requiritur. Hic

Hic denique objiciunt aliqui; Ea ratione Logicam ac Philosophiam, & humanam ratiocinationem, debere obtinere regimen ac dominium supra Theologica mysteria, ac supra ipsum Dei verbum. Resp. Absit. An Grammatica dicatur obtinere dominium, non solummodo supra scripta Philosophica, ac Medica & Juridica, sed etiam super Theologica, & super ipsa Dei verba? quum etiam in his observandæ sint leges ac regulæ Grammaticæ, ne quid eis non congruens perperam & inepte dicatur. Etiam Theologi cordati cavent, ne in sermonibus solæcismum contra Grammaticæ regulas committant. At multo deterior ac damnosior est contra rerum præsertim divinarum veritatem error, quam contra vularum syntaxin admittas solæcismus.

Hæc igitur quum ita se habeant, quid restat, nisi ut tandem aliquando in diversis Christianorum lectis

homines, si modo vere homines id est rationalia animalia esse velint, oculos animi ac rationis aperiant, nec eos sibi à quoquam occludi aut obnubilari sinant, quorum ductu usi ipsi, in religionis veræ ac rationi consentaneæ luce, non in errorum ac superstitionum sub mysteriorum vitulo latentium caligine ambulent: ne quorundam hominum parum sani cerebri figmenta quasi divina oracula mordicus teneant: neve religionem Christianam rationali cultu decoram, irrationalium absurdorum mistura infamem reddant, atque hominibus ab ipsa alienis, non solum Atheis, sed tum Ethnicis, tum Deistis, tum Judæis, tum Machometanis, abominandam, ac deridendam præbeant, eosque ab ea suscipienda scandalo dato avertant.

F I N I S.

